AUTHOR:

HAEUSSNER, JOSEPH

TITLE:

DE HORATIANORUM CARMINUM LIBRI...

PLACE:

FREIBURG I. B.

DATE:

1876

Master Negative #

93-81613-11

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Haeussner, J

De Horatianorum Carminum libri quarti octavo, scripsit J. Haeussner... Freiburg i. B., Lehmann, 1876.

29 p. 26 cm.

"Beilage zum Programm des Grossh. gymnasiums zu Freiburg."

Restrictions on Use:


TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm   REDUCTION RATIO: 14X

IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB

DATE FILMED: 7/27/93   INITIALS BAP

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT






AIIM


Association for Information and Image Management



1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202







MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE

HORATIANORUM CARMINUM LIBRI QUARTI OCTAVO

SCRIPSIT

J. HAEUSSNER.

BEILAGE ZUM PROGRAMM DES GROSSH. GYMNASIUMS ZU FREIBURG.

FREIBURG I. B.
UNIVERSITAETSBUCHDRUCKEREI VON CHR. LEHMANN.
1876.

Ne quis miretur aut queratur alia abhinc octo menses Teubneri commentariis promissa esse alia nunc praestari, qui sollemnem commentationem programmati gymnasii nostri additurus erat Zürn professor gravitate valetudinis, quominus eam absolveret, impeditus est. Quod cum miseratione collegae optimi atque carissimi aegre tulimus, tum quod paucae reliquae erant hebdomades, antequam libellus typis describendus esset, coeperat res in periculo esse, ne altero iam anno programma gymnasii Friburgensis sine commentatione ederetur. Nolui igitur rectori gymnasii nostri, viro illustrissimo atque de me optime merito, a me petenti, ut quae de octavo carmine libri quarti odarum Horatianarum conscripsissem vel conscripturus essem, in eum usum commendarem, repugnare sperans, si quae minus accurate commodeque dicta essent, qua mihi utendum erat festinatione ac prope tumultuaria opera excusatum iri.

„In textu constituendo nullam speciem probabilitatis ex sensu elegantiae ductam, verum proba et satis antiqua exemplaria principatum habere necesse est.“

F. A. Wolf (proleg. ad Hom. cap. VIII. p. XXIV).

Ex omnibus Q. Horatii Flacci carminibus libri quarti octavum uberrimam artis criticae exercendae praebere materiem satis constat. Jam Bentleius, qui primus — ut Guieti illius observationes criticas marginibus librorum suorum adscriptas omittam — critica ratione usus in Horatio suspiciones movit, in hoc uno carmine versum (17) obelo ut ita dicam notavit; eum deinde Buttmannus (cf. commentationem, cui titulus: „de Horatio et non Horatio“, Mythologi tomo alteri adiectam) secutus est. Quorum uterque unum versum septimum decimum ut spurium serie amovisse satis habebant. Multo vero longius progressus P. Hofman Peerlkampius quattuor versus (14—17) e textu eici voluit.

Neque iis, qui Batavum illum hominem grammaticum secuti sunt, quatuor illis versibus damnatis res ad liquidum perducta visa est, immo vero omnes fere homines docti, qui post editionem illam a Peerlkampio abhinc plus quadraginta annos factam Horatii carminibus interpretandis operam dederunt, de hoc carmine, utrum ita, ut nobis traditum sit libris manu scriptis, Horatio tribuendum, an, si interpolatio quam vocant subesset, quot aut quinam versus subditicii eiciendi essent, gravioribus levioribus argumentis disputaverunt. Qua in re diiudicanda quamquam, ut fit plerumque, alii in aliam sententiam inclinaverunt versibus pluribus paucioribus amotis adiectis transpositis, tamen fere omnes haec tria in carmine vituperanda Horatioque prorsus indigna esse conclamant:

Primum quidem Scipiones alterum cum altero ita commutari, ut quod alteri tribuendum erat, alteri laudi detur. Horatium vero tam graviter in historia populi Romani peccavisse tamque rudem fuisse memoriae rerum gestarum negandum esse. Accedere deinde, quod in eodem versu (17) metrica quoque lex neglegatur, quod ab Horatiana illa consuetudine maxime abhorreat. Tum totum carmen, cum legi illi a Meinekio in Flacco statutae, qua omnia carmina lyrica tetrasticham exhibeant compositionem, repugnet, ita ut nobis libris traditum sit, Horatii esse non posse, sed ut iustus i. e. quaternarius versuum numerus efficiatur, aliquot versus aut excidisse aut aliquot eorum, quos libri exhibent, interpolatori deberi statuendum esse. Quin non defuerunt, qui totum carmen poetae Venusino prorsus abiudicare non dubitaverint, ut K. Lehrsius et nuperrime Adolfus Kiesslingus.

Quae omnia cum non solum ad hoc carmen constituendum, sed etiam ad quaestionem de Horatii interpolationibus diiudicandam maximi sint momenti, cumque, ut Ad. Kiesslingus (index scholar. in universit. litt. Gryphiswald. 1874 pag. 3), quem modo laudavi, recte monuit, vix aptiore exemplo demonstrari possit, quoties et quantopere hac aetate mutatae sint criticae rationes quam hoc ipso carmine, haud ingratam fore meam de hoc carmine industriam

sperare ausim, si omnia, quantum fieri potest, interpretum argumenta quid quodque valeat in arbitrium vocabo. Qua in re exponenda si saepenumero ad ea nobis recurrendum fuit, quae iam ab aliis ad lucem prolata sunt, Teuffelii illud de me quoque dictum velim: litterarum Horatianarum materiam tam infinitam tamque immensam esse hac aetate, ut non tam augenda quam certa quadam ratione diiudicanda videretur. (Cf. Teuffel, Charakteristik des Horaz. 1843, pag. 9 seq.)

Iam primum de versu septimo decimo („non incendia Carthaginis impiae“), loco illo notissimo, nobis disputandum est. Qui cum tanquam fons atque origo interpolationis habendus sit, mirum non est, quod iterum atque iterum ab hominibus criticis agitatus est. Primus in eo, ut supra monui, Bentleius, pater tanquam et princeps artis criticae Horatianae, offendit. Alterum enim ait ille bellum Punicum cum tertio confundi, nam Carthaginem incensam esse a P. Cornelio Scipione Aemiliano, filio quidem L. Paulli Aemilii naturali, nepote vero superioris Scipionis adoptivo, plus annis quadraginta ab alterius obitu, neque omnino illum Scipionem (minorem) potuisse attingi ab Ennio, utpote qui iam anno 585 a. u. c. mortuus esset. Quare illo versu 17 historiae fidem vehementer violari. Deinde metricam quoque legem, quae ultima syllaba choriambi apud Horatium vocem terminari flagitaret, ita neglegi („Non incendia Car | thaginis impiae“), ut versum illum falsario „et historiae et artis ignarissimo“ tribuere minime dubitet. Orellius ad tollendam loci difficultatem „incendia“ poetice pro cladibus vult accipi et laudat ad probandum hanc vocis interpretationem Vergil. Aen. I. 566 („Virtutesque virosque aut tanti incendia belli“). Afferre potuit etiam Silium Italicum II. 358. Deinde de castris binis Syphacis et Hasdrubalis a Scipione incensis (cf. Liv. XXX. 5. e. q. s.) crematisque Carthaginiensium navibus quingentis portuque (cf. Liv. XXX. 43.) ait posse intellegi. Ita „incendia Carthaginis“ ad combusta castra navigiaque spectare dicuntur. Quod navium incendium Livius (l. l.) his verbis describit: „tam lugubre fuisse Poenis quam si ipsa Carthago arderet.“

Artificiosa sane interpretatio, qua qui utuntur, ii, ut Heynemannus (de interpolationibus in carm. Horat. pag. 37) recte monuit, statuant oportet Horatium grammaticis solis hominibus, non aequalibus carmina sua scripsisse. Neque enim dubium est, quin vel maximam, quam poetis libenter concedimus dicendi libertatem, Horatius egrediatur dicens „incendia Carthaginis", intellegens vero „castrorum Syphacis incendia" aut „belli Carthaginiensis". Accedit, quod, ut Schuetzius, qui nuperrime Horatii carmina recensuit, recte monuit, vix cogitari potest, cum de „incendiis Carthaginis", quae in omne aevum apud Romanos clara notissimaque ferebatur res gesta, sermo sit, non incendium urbis ipsius intellegendum esse, sed naves crematas aliasque belli devastationes, quae res haud scio an non ulli alii nisi annalium scriptori ut Livio aliis notae fuerint. Et quaenam profecto res gesta digna esse potuit, quae cladi Hannibalis pariter adderetur, nisi ipsum Carthaginis incendium?

Alii hoc loco omnino non de Scipionibus, nec de maiore nec de minore, sermonem esse putant neque Ennii Rudini, annalium scriptoris, mentionem fieri, sed verba: „eius qui domita nomen ab Africa lucratus rediit" de quovis Africae domitore s. victore intellegenda esse (cf. Gerber in Zeitschrift für Altertumswiss. 1830, pag. 47.) neque ipsum poetam significari, sed Ennii nomine artem poeticam induci. — Quae interpretatio admodum mira est. Neque enim clarius neque magis aperte Ennius significari potest. An, ut exemplum afferam, cum de „Dircaeo cycno" sermo est (carm. IIII. 2, 25), quis non Pindarum, si de „Aeoliae fidibus puellae" (c. IIII. 9, 12), quis Sappho non intelleget? (cf. scholia Horatiana ad h. l.) Quae cum ita sint, Martini quoque sententia repudianda est. Qui postquam primus vv. 15—19 verba: non celeres fugae reiectaeque rectrorsum Hannibalis minae, non incendia Carthaginis impiae eius, qui domita nomen ab Africa lucratus rediit" spuria esse censuit (cf. commentat. crit. programmatis scholast. Posnan. 1837. pag. 31 sqq.) — qua in re plurimi deinde eum secuti sunt — Calabras Pierides ad Ennium spectare negat idemque esse

putat atque Dauniam Camenam, cuius Horatius c. IIII. 6, 27 mentionem facit, neque quicquam aliud nisi poesin Horatianam significare. Quod si ita se haberet, Horatius in eorum hominum fallacium numero esset referendus, qui aliud dicant, aliud sentiant. Neque minus aperte verbis: „eius qui... rediit" Scipio declaratur.

Sed Carthaginem a Scipione minore deletam esse quis nescit? At nec Scipio Africanus minor, nec incendium Carthaginis ab Ennio, ut qui anno 585 a. u. c. (169 a. Ch. n.) mortuus sit (cf. Teuffel, Röm. Lit.-Gesch. § 100, edit. III), laudari potuit. Quem errorem manifestum cum omnes fere turpiorem esse consentiant quam ut Horatio attribui possit, locum aut ita interpretantur, ut difficultatem sustulisse Horatiumque macula illa liberavisse sibi videantur, aut locum ferri posse prorsus negantes versum septimum decimum ut spurium e textu eici iubent.

Ac Ritterus quidem (cf. Philolog. I. pag. 581) locum ita fere interpretatur: tribus rebus Scipionis praeclara facta posteris hominibus tradi: primum statuis imaginibusque, in quibus illius facta essent inscripta („incisa notis marmora publicis"), deinde iis claris rebus gestis, quae a facinoribus illis tanquam e fonte profectae essent, quarum altera in Hannibalis ex Italia discessu, altera in ipso Carthaginis incendio cerneretur; neque enim Carthaginem a Scipione Africano minore unquam exstingui potuisse, nisi iam antea Scipio maior rebus egregie gestis Carthaginiensium opes bellique subsidia paene oppressisset afflictasque reddidisset; tum denique laudes Scipionis melius atque clarius quam imaginibus atque rebus iis, quae Scipionis maioris facinora postea secutae sunt, Ennii carminibus praedicari. — Quae interpretatio tam arcessita tamque artificiosa est, ut Ritterus nisi desperatione coactus eam non videatur amplexus esse.

Quamquam enim Carthaginienses proeliis ad Uticam factis gravissimaque clade a Scipione maiore illata in id discrimen erant adducti (cf. Liv. XXX. 44: „Tunc flesse decuit, — verba Hannibalis ipsius — cum adempta nobis arma, incensae naves, interdictum externis bellis; illo enim vulnere concidimus..."),

ut neque iacturam restituere neque opes suas quamvis egregie Hannibale post alterum bellum Punicum rem publicam administrante ita reficere possent, ut Romanis bello postea pares essent, tamen excidium Carthaginis Scipioni illi maiori nullo iure laudi dari potest neque in ruinis illius urbis ullius alius nisi Scipionis minoris virtus meritumque cernitur. Maior ille Scipio licet summa apud Romanos gloria famaque usus sit et minori quamvis duci clarissimo dignitatis gloriaeque amplitudine praestiterit (cf. Valer. Maxim. IIII. 1, 6: „Non defuit maioribus grata mens ad praemia superiori Africano exsolvenda, siquidem maxima eius merita paribus ornamentis decorare conati sunt. Voluerunt illi statuas in comitio, in rostris, in curia, in ipsa denique Iovis optimi maximi cella ponere; voluerunt imaginem eius triumphali ornatu indutam Capitolinis pulvinaribus applicare; voluerunt ei continuum per omnes vitae annos consulatum perpetuamque dictaturam tribuere..." Cf. lib. VIII. 15, 1: „Imaginem in cella Iovis optimi maximi positam habet (Scipio Afric. maior), quae quotienscunque funus aliquod Corneliae genti celebrandum est, inde petitur, unique illi instar atrii Capitolium est"): tamen minime inde probari potest, si poeta Scipionem maiorem laudibus persequitur et ad gloriam praedicandam Hannibalis ex Italia discessus, (vel, ut infra videbimus, illius post pugnam apud Zamam commissam Adrumetum fugae) mentionem facit, alterum quoque prae ceteris in bellis Punicis rebus gestis gravissimum clarissimumque facinus, incendium scilicet Carthaginis, eidem Scipioni maiori recte tribui. Quod si iure liceret, tum e. c. Miltiadi merito honori dandum est, quod Cimon filius apud Eurymedontem Persas vicit.

Quae omnia respicientes dubitare non possumus, quin ea, quae v. 17 proferuntur, a rerum fide graviter abhorreant. Quid? Versum 17 propter hunc errrorem ut Horatio indignum damnandum eiciendumque esse iudicabimus, ut Bentleio auctore plurimi fecerunt? An Horatium rerum a populo Romano praeclare gestarum tam ignarum tamque rudem fuisse putandum est, ut aut Carthaginem non secundo bello Punico, sed tertio deletam esse ignoraret, aut

Scipiones, viros prae ceteris egregios, alterum cum altero ita confunderet, ut minorem Ennii laudibus praedicari crederet?

Niebuhrius quidem Flaccum talis rerum Romanarum ignorantiae accusare non dubitavit (cf. Niebuhr: Vorträge über röm. Geschichte, ed. Isler II. p. 309: „Was Horaz betrifft, so ist auffallend bei ihm, dass Niemand unwissender in der Geschichte seines Volkes sein kann; er verwechselt z. B. die beiden Scipionen, hatte Ennius, den er verspottet, so wenig gelesen, dass er glaubt, dieser habe Scipio, den Zerstörer von Carthago, besungen.") Riese quoque (Fleckeisen, Jahrbücher für Ph. u. Pädag. 93, a. 1866 p. 475) dissertatione de interpolationibus, quas apud Horatium omnino statuendas esse negat, praemissa in hoc versu poetam in rerum gestarum historia peccavisse putat; sed postquam Luc. Muellerus locos quales c. IIII 4, 14—18 et c. II 20, 9—12 (de Horatii in cycnum metamorph.) fortasse genuinos esse concessisset, non esse ait, quod versus 17 damnaretur. — Teuffelius (Röm. Lit.-Gesch. § 235, 6, edit. III) Horatium, utpote qui libertino patre natus sit (sermon I. 6, 6), historia populi Romani parum institutum esse censet (cf. l. l. „Nicht die starke Seite des Horaz ist die römische Geschichte, die der libertino patre natus nicht mit der Muttermilch eingesogen hatte.."). A prioribus vero Romanarum rerum scriptoribus, qui veterrimam historiam sibi proposuerant scribendam, quominus in eos studium conferret, illorum scribendi ratione ab elegantia plane abhorrente deterritum esse optime monuisse mihi quidem videtur. Etenim rerum gestarum memoriam apud Romanos imaginibus in atriis hominum nobilium positis posteritati proditam esse constat. Quae res gestas Romanorum iam a puero discendi occasio cum poetae humili loco nato plane deesset, historiae notitiam nisi ex rerum scriptoribus haurire non potuit. Quod si Flaccus neglexit, minime hercle vitio ei vertemus. Namque antiquissimi illi annalium scriptores, ut M. Porcius Cato, L. Cassius Hemina, L. Calpurnius Piso Frugi, L. Caelius Antipater, Valerius Antias, alii ipsorum Romanorum iudicio tam „incondite" (cf. Fronto, epistul. pag. 114. ed. Nab.), tam „exiliter" (cf. Cic. Brut. 27, 106) atque „sine ullo nitore

ac palaestra" (cf. Cic. de legg. I. 2, 6), tam „invenuste" atque „longinque" (cf. Fronto l. l.) res gestas retulerunt, ut mirum non videatur, si Horatius, qua fuit ingenii elegantia, in illorum scriptis parum eruditus erat. Accedit, quod Flaccus ex propria ingenii indole inprimis philosophiae studium bonasque artes amplexus est (cf. Teuffel: Charakteristik des Horaz pag. 37 sq. 74 a). Recte igitur Horatium in errorem incidisse conicere licebit. Quem errorem si accuratius perspexeris, non tam in rerum gestarum quam in litterarum fieri historiam apparet: Ennium enim iam anno 585 a. u. c. obiisse ignorans Scipionem minorem laudibus efferentem facit. At Horatius ipse, quae fuerit sua de Ennio sententia, manifesto declaravit epist II. 3, 259 sqq. 1, 50 sqq. sermon. I 10, 54. Qui ita iudicavit, cum in Ennii studio non ita multum tempus consumpsisse perspicuum est neque ob eam rem dubitari potest, quin Horatii parvi interfuerit investigare, quonam anno Ennius mortuus esset aut utrum Scipionem minorem laude persequi posset necne.

At nunc metrici: Quomodo, inquiunt, Horatius versum fingere potuit qualem: „Non incendia Car | thaginis impiae", cum post primum choriambum sine ulla exceptione caesura sit ponenda? Etenim nullis, ut Bentleius monuit, locis mediam vocem diffindit caesura, nam quod legimus c. II. 12, 25: dum flagrantia de | torquet ad oscula", habet sibi excusationem aliquam, quod praepositio „de" separata tanquam sit a verbo ipso; itemque c. I 18, 16: „Arcanique fides prodiga per | lucidior vitro." Itaque Riese (l. l.) eos locos ad caesuram versus septimi decimi defendendam non recte affert.

Sed in adhibendis vocabulis cum compositis tum nominibus propriis, si metri rationem spectaveris, poetas latinos magna usos esse libertate quem fugit? (cf. Luc. Mueller, de re metrica pag. 363). Ut unum tantum exemplum afferam, Horatius c. II 13, 21 vocabulum „Proserpina" prima brevi usurpatur, cum omnibus aliis locis prima longa usus sit. cf. c. I 28, 20, sermon. II 5, 110.

Fuerunt qui „Carthaginem" vocabulorum compositorum instar ab Horatio

adhibitam esse dicerent, ut quae ex Karthah — chadatha קַרְתָּא חֲדַתָּא, quod idem est atque Nova urbs (Neustadt), formata sit (cf. Bochart geogr. sacr. II cap. 24. cf. Kärcher, Horaz. Dritte Lieferung 1853 p. 3). Quamquam enim ex Plauti fabula, quae inscribitur Poenulus, conicere licet linguam Phoeniciam s. Carthaginiensem Plauti quidem temporibus Romanis minime ignotam fuisse, tamen veri simile non est Horatium in eam linguam discendam studium contulisse. Sed in nominibus propriis adhibendis maiore libertate poetis uti licuit. Graecos et in nominibus propriis et in appellativis illam caesurae legem neglexisse notum est. Sapph. frg. 56: *Φαῖσι δή ποτα Λή|δαν ὐακινθίνων* (Bergk.) cf. Alcaei frg. 33: *ἐπειδὴ μέγαν ἆθ|λον Βαβυλωνίοις.* — frg. 81: *Κινήσαις τὸν ἀπ' ἴ|ρας πύκινον λίθον* a. pl. (cf. Rossb. et Westph. Griech. Metrik II pag. 761 seq. ed. II.)

Nonne Horatius hac quoque in re „exemplaria Graeca" (ars poet. v. 268) imitatus lege alias servata excedere potuit? Accedit, quod vix cogitari potest interpolatorem in verbis suis in seriem inserendis tanta libertate metri usum esse. Nam si scripsisset: „Non Carthaginis in | cendia", caesura facillime defenditur (cf. c. II. 12, 25; a. p. 87; 263; 377).

Iam ad illorum hominum sententiam examinandam pervenit disputatio nostra, qui in hoc carmine propterea haeserunt, quod numerus versuum legem quandam ab Horatio in carminibus componendis observatam turbaret. Meinekius enim Horatium carmina lyrica (vel ea, in quibus idem semper versus repetitur,) ita composuisse putat, ut omnia numero quaternario dividi possint. Quam legem qui sequuntur, ii in carmine octavo, quod vv. 34 contineat, duos vel sex vel decem vel quattuordecim versus aut excidisse aut aliena manu additos esse statuant oportet.

At quibus argumentis munitus Meinekius legem illam stropharum tetrastiicharum suaserit, ex eius in Horatium prolegomenis intellegi non potest et quamquam Luc. Muellerus (de re metr. pag. 117 sqq.) certissimum esse censet Horatium omnia carmina quaternis versibus continuasse, attamen veteres

grammaticos systematum — strophas vulgo nuncupant — quaternis versibus constantium praeter Sapphicum et Alcaicum et quaedam Asclepiadea (metra e tribus Asclepiadeis et Glyconeo versu aut e duobus Asclepiadeis et Glyconeo et Pherecrateo constantia dicimus) nullam omnino habuisse notitiam ipse dicit. Nam neque apud Caesium Bassum, aequalem Neronis, huius doctrinae apparet vestigium nec magis in canticis Senecae poetae tragici, quae ubique versuum Horatii lyricorum aperte declarant imitationem. Quae cum ita sint, quomodo Christius sententiam suam (Verskunst des Horaz in Sitzungsberichte der Münch. Akad. 1868. p. 35: „aus einer ungeraden Zahl von Versen baute der glättende und sorgfältige Venusinische Dichter gewiss keine Ode: dem stand die Lehre der Schule und die Ueberlieferung der griechischen Meliker schnurstracks entgegen“) probare possit, plane me fugit. Nam Sappho et choriambicos tetrametros et pentametros Aeolicos binorum versuum systematis composuise Hephaestio tradit (cf. Bergk, poet. lyric. Graec. III ed. III p. 874, qui locos Hephaestionis collegit); immo vero Horatium etiam Asclepiadeos versus minores qui vocantur ita adhibuisse veri simile est, ut etiam impari versuum numero carmen componeret. Nam Hephaestio librum secundum et tertium Sapphicorum carminum ea, quae κοινά vocat systemata, complexum esse tradit; minores Asclepiadei libro quinto comprehensa fuerunt auctore Atilio Fortunat. II pag. 353 (in edit. Keilii tom. VI pag. 295). cf. Heynem. l. l. p. 52 seq. Certum vero, quod ad lyricorum Graecorum strophicam rationem attinet, iudicium statui omnino nequit, cum ea carmina, quae metro illo composita sunt, nisi mutilata ad nos non pervenerint. Libri primi carminis primi, libri III carminis 30 (cf. I 11, I 18, III 12, IIII 10), in quibus idem semper repetitur versus Asclepiadeus, numerus versuum in strophas quaternis versibus constantes potest redigi; in quarto carminum libro hoc unum carmen metro Asclepiadeo minore compositum est. An Horatius strophicam illam compositionem hic neglexit? Librum quartum sex fere annis post priores tres libros editum esse putandum est (cf. Franke, fasti Hor. pag. 77 sqq.). Facillime igitur fieri potuit, ut Horatius,

etiamsi in trium priorum librorum carminibus componendis sine ulla exceptione legem tetrasticham observavit, — quod, utrum de industria factum sit necne, ignoramus — postea compluribus annis praeteritis in carmine maturiore aetate composito illam componendi rationem omitteret, sive quod compositioni simplici, in qua idem semper repetitur versus, minus aptam et varietate plane carentem, sive quod superfluam esse postea cognoverat. (Teuffel: „über Horaz“ 1868 p. 17 sq.) Horatium ita sensisse eo veri similius videtur, quod in hoc ipso libro quarto etiam in aliis rebus eas, quas in prioribus carminum libris sibi proposuerat componendi leges, reliquit. Ita v. gr. in libris prioribus tribus in metris Sapphicis caesuram post quintam syllabam, penthemimerem vocant, adhibuit tribus tantum locis (c. I 10, 1; 12, 1; 25, 11) exceptis, cuius in locum in libro IIII caesuram post tertium trochaeum (κατὰ τρίτον τροχαῖον) plurimis locis substituit. (c. IIII 2 undecies; IIII 6 sexies, 11 quinquies, carmine saeculari, quod eodem fere tempore composuit, undevicies). Quibus in rebus Horatium a priore componendi ratione ea de causa decessisse Teuffelius (l. l.) putat, quod caesuram post quintam syllabam, quam ex versu heroico s. hexametro et trimetro iambico in illa lesbiaca metra mixta ipse transtulit, rhythmo non ita respondere postea intellexit. Versum Adonium deinde in prioribus libris quater cum versu antecedenti ita coniunxit, ut unum verbum in duos versus divisum sit duoque versus quasi unus intellegendi sint; cf. carm. I 2, 19; 25, 11; II 16, 7; III 27, 59; in libro IIII ne unum quidem huiusmodi invenies exemplum. Tum Horatius in hoc libro, ut iam Lachmannus (ad Lucret. pag. 66 et 219) adnotavit, longas vocales non elisit. (Quod enim ad illud „spiro et“ in carm. 3, 24 attinet cf. Lehrsii Horat. pag. XVIII). Cum enim in satiris, quae 2113 versus continent, e. gr. plus nongenties synaloephe quam dicunt usus sit (cf. Ieepius: „de elisionibus Horatianis“), in hoc libro IIII octies et quadragies tantum adhibuit eamque ita, ut huius libri synaloephae minimum habeant offensionis. Nam ut Lehrsius („Die Verschleifung bei Horaz“ p. I) animadvertit, in illis duodequinquaginta synaloephis, quarum undeviginti cum insequenti „et“ (in his ter decies „que

— et“), quinque cum „est“, sedecim cum praepositionibus, octo cum nominibus aut verbis efficiuntur, nihil est duri. Accedit, quod Horatius in anacrusi versus Alcaici in libro I quinquies, in libro II ter, in tertio bis brevem admisit syllabam, libro IIII autem nunquam hac libertate usus est. (Cf. Teuffel l. l. pag. 16). Quibus in rebus ab ea, quam in prioribus libris observavit scribendi ratione, hic illic poetam decessisse manifestum est neque dubitari potest, quin Horatius etiam quod ad strophicam illam omnium carminum legem spectat, quae si quidem omnino statuenda est, sententiam postea mutare potuerit. In epodis quoque non solum quaternarium illum versuum numerum, sed etiam rationem stropharum binis versibus formatarum semel (epod. 17) eum neglexisse videmus.

Quae cum ita sint, versuum numerum non satis praebere arbitror, cur aut duo aut sex aut decem aut quattuordecim aut duodeviginti eiciantur versus, aut, quod Orellius (edit. I et II) proposuit (edit. III pag. 584 ab omni vel lacunae vel interpolationis significatione in hoc carmine abstinuit), lacunam duorum versuum, qui post v. 17, aut, ut Riese (annal. Fleckeis. 93 a. 1866 pag. 481) censet, post versum 25 excidissent, statuendam esse putemus.

Restat ut Kiesslingi, qui nuperrime commentatione (indici scholarum in universit. Gryphiswald. anni 1874 addita), de hoc carmine egit, mentionem faciam. Affert locum Vellei Paterculi II 102: „Quo tempore M. Lolli, quem veluti moderatorem iuventae fili sui Augustus esse voluerat, perfida et plena subdoli ac versuti animi consilia per Parthum indicata Caesari fama vulgavit; cuius mors intra paucos dies fortuita an voluntaria fuerit ignoro. Sed quam hunc decessisse laetati homines, tam paullo post obisse Censorinum in iisdem provinciis graviter tulit civitas, virum demerendis hominibus genitum.“ Sicut apud Velleium Lollii et Censorini memoria copulata sit, similiter apud Horatium utriusque viri laudes ita coniunctas esse, ut carmen, quod Censorini gloriam praedicet, illud Lollii ἐγκώμιον ut ita dicam sequatur. Quam rem casu accidisse Kiesslingus negans aut Velleium Horatii carminis memorem fuisse ait — quod quidem ea de causa veri non simile putat, quod Horatii apud Velleium ne

tum quidem mentio fiat, cum Augusteae aetatis ingenia enumeret, — aut Horatium vel eum, qui carmina in ordinem redegit, propter Velleium laudes Censorini cum Lollii coniunxisse, aut utrumque scriptorem mortibus Lollii Censorinique et tempore et loco simillimis permotum memoriam copulavisse. Propter Velleium vero ordinem carminum immutatum esse credi non potest ex Kiesslingi sententia, cum Velleius auctor parum notus sit.

Sed in libri quarti carminibus collocandis Horatius eandem atque in ceteris libris rationem secutus est. Etenim cum metrorum varietatem quam maximam efficere studeret, carmina, quae eodem metro composita erant, ne se excipientes succederent, evitabat. (Cf. Cahn, trias quaestionum Horat. pag. 11. Riese l. l. pag. 476. Teuffel in Zeitschrift für Altertumsw. 1842 pag. 1111). Ita in libro quarto quoque ea carmina, quae metro Asclepiadeo condita sunt, paribus intervallis (excepto carmine septimo) ita collocata esse vides (carm. 1, 3, 5, 8, 10), ut alia alius metri, et Sapphici (c. 2, 6, 11) et Alcaeici (c. 4, 9), interposita sint. Solummodo in fine libri bina carmina eiusdem metri se excipiunt (c. 12 et 13 metri Asclepiadei, 14 et 15 Alcaeici). Metrica igitur ratione Flaccus facillime adduci potuit, ut carmen, quo Lollii labores oblivionem impune carpere se passurum non esse dicit, post carmen Censorino datum poneret.

At alia de causa Kiesslingus carmen ab Horatio scribi omnino non potuisse censet. Nam v. 13 „Non incisa notis marmora publicis“ de „tabulis honorariis“, quas Augustus (cf. Sueton. Aug. 31) in foro prope aedem Martis Ultoris posuit, esse intellegendum. Cum autem veri simile non esset statuas aede nondum perfecta atque dedicata esse positas, Horatio carmen abiudicandum esse, ut qui iam anno 746 a. u. (V Kal. Dec.) — sex igitur annis antequam templum Martis dedicatum est (Mommsen in C. I. L. I. p. 393) — mortuus esset.

Non ita recte Kiesslingus disputare videtur. Fac enim versum 13 ad statuas illas ducum Romanorum spectare (quod Mommsen quoque l. l. putat), quas Augustus, postquam sacerdotium pontificis suscepit (quod anno 742 testibus Monumento Ancyrano et fastis Praenestinis factum

est), in foro suo dedicavit; sed forum festinatius necdum perfecto Martis templo publicatum esse Suetonius (vit. August. 29) tradit. Nonne igitur Horatium paulo antequam diem obiit, initio anni 746 a. u. carmen scripsisse statui potest? Neque absurde coniecit Heynemanus (l. l. p. 43) poetam Kalendis Januariis eius anni, quo die et consulatus inibatur et strenae mitti solebant, carmen composuisse. Quod si verum est, liber IIII carminum non, ut vulgo creditur, anno 741 publici iuris factus est, sed eo, quo Horatius mortuus est.

Sed ne ea quidem interpretatione opus est. Equidem versum 13 ad statuas ab Augusto in foro positas spectare negandum esse puto. Nam „publicis notis" laudes, quae publice, i. e. omnibus notae sunt, significantur. Quae statuae cum publicis locis sint positae, propalam laudem virorum clarorum notis suis praedicant. Neque in ea re quicquam interest, utrum a privatis hominibus i. e. privato sumptu an publico fuerint statutae. Quae imagines „publicis notis incisae" iis opponuntur, quae „publice" notae esse i. e. ab hominibus plurimis nosci ea de causa non potuerunt, quod, cum in aedibus hominum privatorum positae essent, paucis tantum hominibus clarorum virorum praedicabant praeclara facta. Sed publicis locis statuas elogiis incisis positas esse T. Livium testem nominavisse sat habeo. Qui ipse vidisse talia monumenta videtur cf. XXXVIII, 56 („Nam et Literni monumentum fuit... et Romae extra portam Capenam tres statuae erant, quarum duae Publii et Lucii Scipionum dicuntur esse"). Horatio Romanisque haec legentibus quaedam artificum monumenta ante oculos fuisse putandum est. (Cf. Cic. Cato 17, 61: „carmen incisum in sepulcro." Cf. Teuffel, Röm. Lit.-Gesch. § 81 et 83 edit. III). Neque alios locos quibus Horatius verbo „publici" utitur, ab hac interpretatione abhorrere apparet. Ita II. 8, 8 „publica cura" ea est cura, quae non unum tantum persequitur hominem, sed omnes pariter premit. III. 24, 4 „mare publicum" mare significat, quod publico i. e. communi omnium usui patet. (Cf. Ovid. Met. VI. 351) cf. IIII. 2, 42; II. 15, 18; II. 1, 10.

Iam iis rebus, quae in universum monendae erant in carmine octavo constituendo quaeque gravissimae ab hominibus criticis prolatae sunt, absolutis ad singula transeamus, in quibus interpretes maxime offenderunt.

Iam primo in versu, ubi codicibus A B γ — Kelleri siglis utimur — auctoribus legimus „commodus" — aliquot libri corruperunt in „commodis" — Peerkampius offendit in hac voce, quia „non recte sciat" — ipsius verba — „quid hic sibi velit id vocabulum. „Commodum" enim hominem esse humanum, lenem, facilem, sed in donandis muneribus non morum lenitatem, sed animi liberalitatem cerni." Sed Horatium ipsum de vocis huius notione consulamus: epist. I. 9, 9 et II. 1, 227 „commodus" eandem vim habet atque benignus, utilis, humanus, placidus, lubens, quod idem hoc quoque loco intellegendum esse censent Acronis quae feruntur scholia (cf. ad hunc locum). Quam notionem benignitatis s. humanitatis huic loco aptissimam apud alios quoque scriptores invenies, cf. Cicer. in Verr. act. II lib. III § 23: „Apronius, qui aliis inhumanus et barbarus, isti uni commodus ac disertus videretur." Quare Peerlkampii coniectura: „Donarem pateras atque Corinthia..." quamvis ingeniosa, superflua vanaque videtur esse. K. Lehrsius cum totum carmen Horatio indignum atque spurium, tum primos versus admodum miros ineptosque esse dicit (cf. Horat. pag. 129); nam Horatium, cum Censorinum tales delicias nihili habere cognovisset, dicere non posse: „sese amicos sive amicorum desiderium praevenientem pateras daturum esse, si sibi essent. Nam ne tum quidem Censorino daret, si haberet dona." At vero facilitate quadam iocosa hoc carmen praestare iam Lachmannus (Philolog. I. pag. 164) recte monuit. Quae quidem iocatio in his verbis: „divite me scilicet artium" optime cernitur: nam cum de amplis splendidisque muneribus dixerit, iocose addit illa verba. Deinde non minus apte pergit: Verum etiamsi haberem dareque vellem tibi dona luculenta, tu ne acciperes quidem ea, quippe qui aliis rebus gaudeas, carminibus: carmina vero dare possum." Quo in sententiarum conexu tantum abest, ut miri quid aut inepti insit, ut etiam eleganter aptissimeque poeta et suam in Censorinum

benevolentiam declaret et Censorini ingenii elegantiae atque eruditioni optimas tribuat laudes, ut qui non pateris aeribusque, sed, id quod virum sensu poetico praeditum decet, carminibus maxime gaudeat. Sed absurdum esse ait Lehrsius: „Aera tibi donarem, pateras, tripodas, si artibus iis abundarem, quas Parrhasius et Scopas fecerunt.“ Non ita puto; medium quoddam huius ratiocinationis membrum Lehrsium oblitum esse Schuetzius (cf. Horat. pag. 382) recte vidit: „Pateras amicis donarem, aera, tripodas, neque tu, Censorine, pessima munerum ferres; immo vero etiam meliora quam illa acciperes dona: picturas, statuas, quales artifices illi, Parrhasius et Scopas, protulerunt, si haberem.“ Apparet statuas et picturas exempli causa munerum afferri. Horatius exemplorum enumerationem, quam in protasi incepit, in apodosi ita persequitur, ut gradatione utatur. Simili modo carm. I. 20, 10 ad ea, quae modo nominavit vina, alia eaque nova exempla adiecit. „Tu bibes Caecubum et Calenum, ego Falernum non habeo.“ Ut in versu quarto carminis VIII libri quarti, ita hoc quoque loco supponendum est: „tu bibes Caecubum et Calenum, ego vero tam pretiosa vina non habeo, tu etiam Falernum et Formianum habes, mihi talia vina non sunt.“

Vv. 14 et 15 Schuetzius, qui nuperrime Horatii carmina recensuit, interpolatos esse putat, cum et sententiarum contextui et rationi repugnent (cf Horat. pag. 383). Nam totius loci argumentum in eo versari, ut immortilitatem nulla re melius quam carminibus impetrari demonstretur. Quare ineptum absurdumque versum 14 sonare, qui monumenta publica et statuas notis inscriptas ad gloriam nominis conservandam apta esse dicat. — Nimis arcum tetendisse Schuetzius videtur: „Inerviunt sane quidem — ita Horatium sensisse apparet — statuae atque monumenta gloriae virorum clarorum praedicandae posterisque prodendae, sed non plus valent quam carmina; statuis marmoreis „non clarius“ quam poesi, quae ad servandam nominis memoriam aeque ac „marmora“ commoda sit, facinora indicantur.“ Quid hic mirum? Quo melius quid „muneris sui pretium“ sit perspiciatur, carmina cum statuis comparat. Neque ea comparatio ab Horatio

aliena est. cf. carm. III. 30, 1 sqq. epist. II. 1, 248—250. At alia quaedam repugnantia in vv. 15—19 inesse videntur. Turbari enim ait Lehrsius contextum addita mentione rerum gestarum. Ipsa iam facinora Scipionum victoriasque laudes esse illas, quae duabus rationibus, statuis et carminibus, praedicentur; neque vero rebus gestis viros laudari posse, sed res ipsas aut Musis aut monumentis egere, quibus laudentur. Quare sententiam loci s. comparationem statuarum et carminum absurdam videri interposita descriptione ipsarum rerum gestarum. Sed universa totius carminis indoles non modo non subvertitur et ad irritum redigitur illa rerum gestarum mentione, sed clarius ea re intellegitur poesis laus: Non statuae titulis inscriptae, immo ne ipsae quidem res praeclare gestae hominum, — deinde affert quaedam egregie facta Scipionum, — in posterorum memoria manent immortales, sed omnia oblivione interitura sunt neque unquam remanebunt, nisi quae poetarum carminibus aeternis celebrantur praedicanturque. — Quo in sententiarum nexu nihil inepti aut contrarii potest inveniri. Quod vero Lehrsius putat versum 14 propterea absurdum esse, quod inscriptiones hominibus mortuis memoriam solam conservare et renovare, non vero, ut statuae, vitam quoque redire possint iubere, monendum est statuas ab inscriptionibus omnino dividi aut seiungi non posse; nam sermo est de marmore publicis elogiis inscripto, quibus duces mortui, cum in hominum memoria remaneant, tanquam redivivi atque immortales ante oculos positi sunt. Quare nec Peerlkampii nec Lehrsii de his versibus sententia probari potest.

Ad versum 17, de quo iam supra universe quaesivimus, afferenda sunt, quae God. Hermannus (Berichte der Sächs. Gesellschaft der Wiss. 1846 I. a pag. 280) monuit. Qui Bentleium vituperat, quod „Carthaginem delendam esse“ censuit. Etenim caesuram illam, in quo Bentleius offendit, natura nominis proprii satis excusari neque Bentleium, ut qui v. IIII. 14, 17 („spectandus in certamine Martio“) Horatio tribuere non dubitaret, habere, cur versum 17, de quo agitur, improbaret. „Incendium“ vero a librario quodam scriptum esse putat, qui, quod in libro manu scripto suo mulilato legeret „...endia Carthaginis“,

benevolentiam declaret et Censorini ingenii elegantiae atque eruditioni optimas tribuat laudes, ut qui non pateris aeribusque, sed, id quod virum sensu poetico praeditum decet, carminibus maxime gaudeat. Sed absurdum esse ait Lehrsius: „Aera tibi donarem, pateras, tripodas, si artibus iis abundarem, quas Parrhasius et Scopas fecerunt.“ Non ita puto; medium quoddam huius ratiocinationis membrum Lehrsium oblitum esse Schuetzius (cf. Horat. pag. 382) recte vidit: „Pateras amicis donarem, aera, tripodas, neque tu, Censorine, pessima munerum ferres; immo vero etiam meliora quam illa acciperes dona: picturas, statuas, quales artifices illi, Parrhasius et Scopas, protulerunt, si haberem.“ Apparet statuas et picturas exempli causa munerum afferri. Horatius exemplorum enumerationem, quam in protasi incepit, in apodosi ita persequitur, ut gradatione utatur. Simili modo carm. I. 20, 10 ad ea, quae modo nominavit vina, alia eaque nova exempla adiecit. „Tu bibes Caecubum et Calenum, ego Falernum non habeo.“ Ut in versu quarto carminis VIII libri quarti, ita hoc quoque loco supponendum est: „tu bibes Caecubum et Calenum, ego vero tam pretiosa vina non habeo, tu etiam Falernum et Formianum habes, mihi talia vina non sunt.“

Vv. 14 et 15 Schuetzius, qui nuperrime Horatii carmina recensuit, interpolatos esse putat, cum et sententiarum contextui et rationi repugnent (cf Horat. pag. 383). Nam totius loci argumentum in eo versari, ut immortilitatem nulla re melius quam carminibus impetrari demonstretur. Quare ineptum absurdumque versum 14 sonare, qui monumenta publica et statuas notis inscriptas ad gloriam nominis conservandam apta esse dicat. — Nimis arcum tetendisse Schuetzius videtur: „Inerviunt sane quidem — ita Horatium sensisse apparet — statuae atque monumenta gloriae virorum clarorum praedicandae posterisque prodendae, sed non plus valent quam carmina; statuis marmoreis „non clarius“ quam poesi, quae ad servandam nominis memoriam aeque ac „marmora“ commoda sit, facinora indicantur.“ Quid hic mirum? Quo melius quid „muneris sui pretium“ sit perspiciatur, carmina cum statuis comparat. Neque ea comparatio ab Horatio

aliena est. cf. carm. III. 30, 1 sqq. epist. II. 1, 248—250. At alia quaedam repugnantia in vv. 15—19 inesse videntur. Turbari enim ait Lehrsius contextum addita mentione rerum gestarum. Ipsa iam facinora Scipionum victoriasque laudes esse illas, quae duabus rationibus, statuis et carminibus, praedicentur; neque vero rebus gestis viros laudari posse, sed res ipsas aut Musis aut monumentis egere, quibus laudentur. Quare sententiam loci s. comparationem statuarum et carminum absurdam videri interposita descriptione ipsarum rerum gestarum. Sed universa totius carminis indoles non modo non subvertitur et ad irritum redigitur illa rerum gestarum mentione, sed clarius ea re intellegitur poesis laus: Non statuae titulis inscriptae, immo ne ipsae quidem res praeclare gestae hominum, — deinde affert quaedam egregie facta Scipionum, — in posterorum memoria manent immortales, sed omnia oblivione interitura sunt neque unquam remanebunt, nisi quae poetarum carminibus aeternis celebrantur praedicanturque. — Quo in sententiarum nexu nihil inepti aut contrarii potest inveniri. Quod vero Lehrsius putat versum 14 propterea absurdum esse, quod inscriptiones hominibus mortuis memoriam solam conservare et renovare, non vero, ut statuae, vitam quoque redire possint iubere, monendum est statuas ab inscriptionibus omnino dividi aut seiungi non posse; nam sermo est de marmore publicis elogiis inscripto, quibus duces mortui, cum in hominum memoria remaneant, tanquam redivivi atque immortales ante oculos positi sunt. Quare nec Peerlkampii nec Lehrsii de his versibus sententia probari potest.

Ad versum 17, de quo iam supra universe quaesivimus, afferenda sunt, quae God. Hermannus (Berichte der Sächs. Gesellschaft der Wiss. 1846 I. a pag. 280) monuit. Qui Bentleium vituperat, quod „Carthaginem delendam esse“ censuit. Etenim caesuram illam, in quo Bentleius offendit, natura nominis proprii satis excusari neque Bentleium, ut qui v. IIII. 14, 17 („spectandus in certamine Martio“) Horatio tribuere non dubitaret, habere, cur versum 17, de quo agitur, improbaret. „Incendium“ vero a librario quodam scriptum esse putat, qui, quod in libro manu scripto suo mutilato legeret „...endia Carthaginis“,

perscribendum sibi esse crederet. Quare Hermannus coniecturas Cuninghami et Sanadoni, qui „impendia" scripserunt et Doeringi, qui „stipendia" scripsit, haud improbandas esse arbitratur; ipse vero proponit „dispendia". Quas coniecturas, si, quae supra monuimus de „incendiis" Carthaginis, tecum reputaveris, necessarias non esse concedes. Aliam coniecturam Peerlkampius (biblioth. crit. nova vol. I. pag. 126) proposuerat („Non Carthaginis incendia perfidae"); qua in carminum editione (anno 1834 facta) retractata versus 14—17 delevit, cum sententia facilis et vera his quattuor versibus interpositis difficilis fieret atque „celeres illae fugae" historiae fidem violarent. Sed quamquam ne Livius quidem (XXX. 20: „haec accusans querens ex diutina possessione Italiae est detractus") Hannibalis in Africam reditum fugam appellavit, tamen poetae discessum illum fugam nominare licuit. Neque enim, ut iam Ritterus recte vidit, Hannibal ex Italia nisi necessitate coactus decessit. Ceterum Romanos nimio quodam patriae amore ductos in enarrandis iudicandisquae hostium rebus, ut qui sua ipsorum ante omnia praeclara facta laudibus persequerentur, minus accuratos fuisse satis notum est. An, ut commoremur in Romanorum de Hannibale iudicio quale fuerit, ea, quae Livius XXI. 4. („perfidia plus quam Punica, nihil veri, nihil sancti..") et Silius Italicus I. 566. („fideique sinister is fuit .. devius aequi, armato nullus divum pudor") de moribus Hannibalis „inhumanaque crudelitate" tradunt, si modo Polybium aliosque scriptores audimus, num sine ira et studio illi retulerint, summo iure dubitari potest. Flaccus ipse c. II. 6, 36 „dirum" Hannibalem appellavit. At „celeres illas fugas" ad aliam rem spectare puto. Livius enim (XXX. 35) tradit: „Hannibal cum paucis equitibus inter tumultum elapsus Adrumentum perfugit". Quid? Num „celeres fugas" ad illam fugam respicere negabis? Neque enim clades Hannibalis ulla re melius significari potuit quam fugae mentione. Quae duae res: Hannibal victus fugatusque et Carthaginis excidium, ut iam supra monui, cum primaria atque maxime egregia facinora a Romanis haberentur, poetae ante oculos versabantur. Ceterum Horatius c. II. 13, 17 quoque „celer" epitheton quod dicunt cum fuga coniunxit.

Martinus, ut monui, primus verba: „non celeres fugae reiectaeque retrorsum Hannibalis minae, non incendia Carthaginis impiae eius, qui domita nomen ab Africa lucratus rediit" interpolata esse dixit; cuius rei ignarus postea Lachmannus (l. l.) iisdem fere rationibus commotus eandem sententiam protulit, quem deinde Meinekius, Hauptius, Linkerus, Prienius, Gruppius, L. Muellerus a. secuti versus ita constituerunt:

Non incisa notis marmora publicis,
Per quae spiritus et vita redit bonis
Post mortem ducibus, clarius indicant
Laudes, quam Calabrae Pierides: neque etc.

Lachmannus in v. 18 in iunctura inepta quam vocat „eius qui" haesit. Neque enim ait ille Vergilium neque Ovidium neque Horatium in carminibus et iambis pronomine „is" esse usos. Bentleius ad c. III. 11, 18 („caput eius") pronomen „eius" in carm. IIII. 8, quamquam vituperandum esset et pedestri soli orationi proximum poetae vitandum, tamen amoveri non licere, sed ferendum esse putat. Horatius in carminibus praeter hunc locum semel tantum III. 11, 18 (agitatissimo quidem loco), in sermonibus et epistulis tricies pronomen „is" modo hoc modo illo casu usurpavit. Cf. epist. I. 1, 65 („is qui"), serm. I. 3, 80 („cum qui"), cf. 4, 88; II. 3, 177 („id quod"), cf. epist. I. 1, 24; serm. I. 4, 108 („eo quod"); epist. I. 1, 47, II. 1, 81 („ea quae"). Sed hac in re sermones et epistulae minus valent, cum pedestri orationi (epist. II. 1, 250 sq. serm. I. 4, 42, II. 6, 17) propiores sint. Sed Propertium et Tibullum eo pronomine uti Hermannus (l. l.) monet compluresque locos affert. Idem recte addit pronomen in versu 18 ea de causa ponendum fuisse, quod cum vi quadam pronuntiatum atque subiecti loco usurpatum sit. Iam aliam quoque rem mihi liceat hic adnotare. Horatium in carminibus de industria ternis ad probandam illustrandamque sententiam exemplis usum esse neminem fugit. Cf. carm. II. 4, 2 sqq. II. 6, 1 sqq. II. 16, 33 sqq. IIII. 3, 3 seqq. a. m. (Teuffel: Ueber Horaz 1868 pag. 18). Hoc quoque carmine vv. 30 seqq. Hercules, Tyndaridae,

Bacchus enumerantur, qui meritis virtutibusque immortalem consecuti sint gloriam. Quodsi versus illos eieceris, duo tantum exempla (Aeacus et Romulus) relinquuntur atque concinnitas ternorum exemplorum (Scipio, Romulus, Aeacus, — Hercules, Tyndaridae, Bacchus), quae servatis illis versibus facillima aptissimaque cernitur, ad irritum redigitur. Accedit, quod, ut Dillenburgerus vidit, Calabrae Pierides, si celeres fugas et Scipionis omnes res gestas expuleris, vix ferri possunt, ut quae gestis illis tanquam fundamento nitantur. (Cf. Schuetz, Hor. pag. 383). Neque enim cogitari potest Horatium, cuius quod fuerit iudicium de poesi Enniana supra diximus, hoc loco Ennii tanquam poetarum principis s. exemplaris meminisse, si de rebus gestis virorum clarorum quorumlibet generatim dicere vellet; nam tum aliorum meliorumque poetarum carmina, quibus virorum fortium laudes celebrantur, afferret. Apparet igitur Eennium ea de causa nominari, quod de Scipionis rebus gestis, quas et in Ennii annalibus prae ceteris et peculiari libello (cf. Teuffel, Röm. Lit. Gesch. § 102, 4 ed. III). praedicatas esse notum est, mentio erat facta (cf. Lehrs, Horat. pag. CXXXI).

Praeter eos versus, de quibus diximus, vv. 28 et 33 plurimum dederunt, in quibus homines critici offenderent. Versum 28 („dignum laude virum Musa vetat mori“) primus Lachmannus (l. l.) hoc loco ferri posse negat. Deinde, ut strophicae legi par efficeretur numerus, Lachmannum secuti sunt Meinekius, Hauptius, Linkerus, L. Muellerus alii. „Qui versus, inquit Lachmanus (l. l.), quamvis per se bonus hoc loco male sonat neque Horatio tantae ineptiae possunt insimulari, ut ad eam quam vv. 25, 26, 27 protulit sententiam probandam etiam causam quandam sive rationem versu 28 addat. Neque minus inepta sunt quae sequuntur: „Caelo Musa beat“, nam pedestri orationi adstricta procedunt“. At versus 28 non argumentum s. causam quandam inducit, sed ad ea exempla, quae modo allata sunt, respicit eaque complectitur. Simili modo ea, quae deinde v. 29 sequuntur verba: „caelo Musa beat“, ut iam Peerlkampius monuit, ad nova deinceps exempla adicienda dicuntur. Neque omnino huiusmodi collectiones rhetoricae ut ita dicam apud Horatium rarae sunt. cf. carm.

I. 28, 15 seq. („sed omnes una manet nox et calcanda semel via leti,“) c. III. 2, 25 („est et fideli tuta silentio merces“) ad ea, quae sequuntur, paucis verbis colligenda dicta sunt; III. 5, 29 seq. („nec vera virtus cum semel excidit, curat reponi deterioribus“) et quae antecesserunt et quae sequuntur paucis comprehendit. Cf. III. 4, 65.

Versum 33 Lachmannus (l. l.) interpolatum notavit, „cum aptam membrorum compositionem turbaret planeque ex carm. III. 25, 20 subditicius videretur“. (Verba eius sunt haec: „Der eingeschaltete Vers stört die Symmetrie der Sätze durch müssiges Beiwerk..“) Omitti sane posse hunc versum Lachmanno concedendum est; sed si ea de causa, quod tria verba utroque loco posita sunt, interpolationem statuendam esse iure licet censeri, tum Horatii carmina ne admodum circumcidenda comminuendaque sint verendum est. Neque enim eiusmodi iterationes, quotiescunque numini cuidam epitheton quod vocant ornans additur, apud Horatium rarae sunt. Ita I. 19, 1; IIII. 1, 5 „de saeva matre Cupidinum“; I. 28, 20; I. 35, 17 „de saeva Proserpina s. Necessitate loquitur; I. 35, 17 et III. 25, 4 „clavos gerit Necessitas“, et quae sunt alia eius generis. (De iterationibus, quibus Horatius usus sit, cf. Teuffel, über Horaz pag. 19). Quare quo careri possit quodque abundanter dictum sit, id rectene spurium damnaveris admodum dubitari licet; iterum enim atque iterum monendum est talibus argumentis, quae e sensu apti venustique repetuntur, in arte critica factitanda nil omnino probari. Compositionis vero ratio huius carminis hoc versu non modo non dirimitur, ut Lachmannus putat, sed etiam hoc ipso versu expulso concinnitas quaedam desideraretur. Nam et Hercules et Tyndaridae ille „impiger“, hi „clarum sidus“ epithetis ornati sunt, Liber vero careret; quod, nisi cum Hercule et Tyndaridis coniunctus afferretur Liber, mirum non esset, cum etiam I. 12, 22 sine epitheto inducatur. Sed cum de Hercule et Tyndaridis binis versibus mentio facta sit, concinnitas etiam Baccho, quem sequi dulce esse periculum Venusinus ipse (III. 25, 18) professus est, epitheton quoddam attribuere videtur. — Neque gravius est, quod Lachmannus (l. l.) monet:

„Horaz wiederholt seine Worte nicht ohne Anspielung." Nam his locis IIII. 8, 33 et III. 25, 20 cum, ut Heynemannus (l. l. pag. 46) recte sensit, poeta ad sollemnem Liberi imaginem respiciat, sollemnibus ac tritis verbis utitur. Metricam quoque rationem hunc versum eici vetare censet Hermannus (l. l. pag. 276); nam binos plerumque versus ita cohaerere atque coniunctos esse, ut unum reddant enuntiatum. Quare ut versus 31 („clarum Tyndaridae sidus") cum sequenti cohaereat, sic etiam Bacchi laudem binis versibus contineri ex concinnitatis lege statuendum esse. Nihilo minus vero, ut legi illi Meinekianae, de qua iam supra disputavimus, satisfaciat, versu 33, quem per se spectatum haud suspectum iudicavit, eiecto versibus aliis transpositis extremum carmen ita constituit:

. . . sic Iovis interest
Oblatis epulis impiger Hercules,
Liber vota bonos ducit ad exitus:
Clarum Tyndaridae sidus ab infimis
Quassas eripiunt aequoribus rates.

Alia quoque sunt, in quibus interpretes haeserint. Ut iam supra monui, Peerlkampius vv. 14—17 eiecit, quod iis versibus sententia facilis et vera („non marmora incisa notis publicis clarius indicant laudes eius, qui .. rediit") difficilis fiat. Etiam vv. 24 sqq. („invida Romuli: ereptum Stygiis fluctibus Aeacum virtus et favor et") molestiores esse putat, quam ut Horatii esse possint. Romuli enim nomen, cum „Iliae Mavortisque pueri" mentio modo facta sit, omittendum esse; deinde Aeacum una cum Scipione, Romulo, Hercule, Tyndaridis, Libero, ut qui omnes meritis famaque maiores clarioresque sint iudice illo inferno, non apte afferri posse. — Hoc quoque carmen Peerlkampium sua de Horatii carminibus sententia adstringere apparet. Neque enim quicquam, nisi quod tam aptum et rotundum omnibusque numeris absolutum atque perfectum sit, ut nihil demi possit, quin elegantia minuatur, Horatio dignum esse statuit (cf. Peerlkamp ad carm. I. 16, 13). Quae ratio iudicandi quam

perversa sit, tam saepe monitum est, ut non sit, quod addamus (cf. Teuffel, über Horaz, pag. 20 sq. Heynemann, l. l. pag. 8 sq.). Prienius (Rhein. Mus. XIII. pag. 341) praeter eos versus, quos Lachmannus spurios notavit, vv. 29—34 metrica quadam ratione interpolatos esse censet. Carmina enim Horatiana tanta arte diligentiaque composita esse existimat, ut, quemadmodum apud poetas tragicos antistropha et pari versuum numero constet et eodem atque stropha metro conditum sit, ita in Horatii quoque carminibus duae vel etiam plures eaeque inter se quodammodo coniunctae partes sint discernendae, quarum altera alteri, quod ad numerum versuum s. stropharum attinet, accurate respondeat. Quam quidem compositionis artem in hoc quoque carmine ita statuendam esse censet, ut, cum ea, quae versu 1—12 proferuntur, certo quasi nexu contineantur, alteram partem versu 12 incipientem, utpote quae priori respondere debeat, plus tres strophas continere vetet. Itaque decem versus vult amoveri. — At legem illam Prienii plane fictam esse quis non videt? Vehementius vero cupidiusque in Venusinum saeviri non potest quam huiusmodi legibus ab Horatiana consuetudine alienis si sunt, qui in arte critica utantur. Prienius illa ratione ductus carm. II. 13, quod quadraginta versibus constat, in sedecim redegit versus; libri IIII. carmen 9, quod quinquaginta duos versus continet, in viginti quattuor reducit; eiusdem libri carm. 2, quod sexaginta versibus constat, in triginta duos redegit a. m. Talem disputandi rationem vel Gruppius, qui quam acer quamque vehemens in Horatii carmina exstiterit arbiter notum est (cf. Minos, pag. 396) aperte vituperat („Der Verfasser geht mit dreister Willkür zu Werke, ... sein ästhetisches Urteil darf nach den gegebenen Proben problematisch werden"). Ne virum prae ceteris nominandum silentio praetereamus, God. Hermannus (l. l.) audacioribus versuum transpositionibus ita usus est, ut fere novum carmen fingeret. Languidum esse versum: „eius laudes clarius indicant", cum aliquid certi atque Scipionis proprii hoc loco praedicandum esset. Neque res a Scipione gestas verbis „eius, qui domita nomen ab Africa lucratus rediit" ab Horatio ipso antepositas esse. Deinde

in versu 24 Romuli nomen per glossam illatum esse ratus conicit: „praemiis“; versum 26 supervacuum censet; in versu 30 „optatis“ in oblatis mutavit. Integrum igitur carmen ita restituendum esse putat:

Versus 1—11 ut libris vulgo traditi sunt immutatos retinuit; tum pergit:

donare et pretium dicere muneri:
per quae spiritus et vita redit bonis
post mortem ducibus non statuae magis,
non incisa notis marmora publicis
illum, qui domita nomen ab Africa
lucratus rediit post celeres fugas
reiectasque retrorsum Hannibalis minas
in dispendia Carthaginis impiae,
clarant, quam Calabrae Pierides: neque
si chartae sileant quod bene feceris,
mercedem tuleris. quid foret Iliae
Mavortisque puer, si taciturnitas
obstaret meritis invidą praemiis?
ereptum Stygiis fluctibus Aeacum
virtus divitibus consecrat insulis.
dignum laude virum Musa vetat mori,
caelo Musa beat. Sic Iovis interest
oblatis epulis impiger Hercules:
Liber vota bonos ducit ad exitus:
clarum Tyndaridae sidus ab infimis
quassas eripiunt aequoribus rates.“

Suum sibi quemque Horatium constituere vides. Neque ea res mira est. Illa enim ars critica, quae carmina Horatiana ad uniuscuiusque sensus apti venustique arbitrium revocat, quod quantum in una eademque re diudicanda discrepet, ipsis Horatianis carminibus aptissime demonstrari potest (cf. quae Peerlkampius et

Meinekius de libri II carmine undecimo maxime diversa et contraria statuerunt), cum omni careat fundamento infinita atque incerta est. De Horatii enim poesi lyrica, quanti sit aestimanda, quamquam alii aliter sentiunt, id certe hac aetate inter omnes fere constat: esse in carminibus, quae non modo non perfecta aptissimeque dicta habenda sint, verum etiam a subtiliore illo dicendi genere, quale poetarum lyricorum esse solet, prorsus abhorreant. Neque enim illis locis, quos c. c. Teuffelius (über Horaz, pag. 19) affert (cf. Keller, Rhein. Mus. XIX pag. 211 sqq.), Horatius immortalem suam gloriam, quam carm. III. 30 se consuturum esse auguratur, videtur debere. Quare non, quid quoque loco Flacco scribendum fuerit, artis criticae est statuere, sed quid re vera scripserit (cf. Keller, Rhein. Mus. XVIII. pag. 272). Qua ratione si utimur, certo quodam solidoque fundamento niti possumus, cum carmina libris manu scriptis, quantum in ea re omnino fieri potest, nobis bene tradita sint. Quodsi quae minus apte dicta sunt in Horatio, ea vituperanda, non vero eicienda esse apparet. Itaque, ut ad octavum carmen redeamus, illud Probi cum de multis aliis locis, tum de versu 17 sq. carminis huius optimo iure dici potest: „Si (Horatius) omitteret, melius fecisset.“